



**Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivis Canonici**

**Andreas, Valerius**

**Francofurti & Lipsiae, 1720**

IV. Ne prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63277](#)

IV. Ne prælati vices suas, vel Ecclesiæ sub  
annuo censu concedant.

Simoniæ species est, cum prælatus jurisdi-  
ctionem suam. cap. 1. & 2. vel Ecclesiæ re-  
gimen sub annuo censu concedit. cap. 3.  
quoniam fructus Ecclesiarum licite sub an-  
nuo censu conceduntur. c. 4. §. Quod ad 2  
poenam attinet. I. Is qui vices prælati vel Ec-  
clesiæ administrationem suscepit, officio su-  
cepto privatur. d. c. 1. & a clero removetur.  
d. c. 2. II. Episcopus, qui officium simonia-  
ce contulit, conferendi illud officium pote-  
state privatur. d. c. 1. III. Episcopus, quo scien-  
te & dissimulante id a subditis perpetratum  
est, canonicæ poenæ subjicitur. d. c. 2. id est,  
duobus mensibus excommunicationi subja-  
ceret. Inf. q. 2. c. quicquid. 102. IV. Episcopo sub-  
ditus, qui eo ignorantे deliquit, si sit presby-  
ter, quatuor mensium excommunicatione ple-  
ctitur; si diaconus, trium mensium excom-  
municationem sustinet; si subdiaconus vel  
alius clericus, arbitraria poena & excommuni-  
catione plectitur. d. c. quicquid.

V. De magistris, & ne aliquid exigatur  
pro licentia docendi.

Simoniæ speciem præ se fert Abb. in cap. 1. I  
licet proprie non sit simonia. Innocent. in  
cap. 2. cum docendi licentia pro pretio conce-  
ditur.